86

et ita cuncta sunt adeo grata et accepta
ergo videtur quod bonitas actus voluntatis po-
tius veniat ex parte obiecti quam ex parte finis quam
ex fine. Oppositum patet id est 6° Si oculus
tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum
erit ubi per oculum ut dicitur ibidem in glossa
intelligitur intentio per quam ordinatur in fi-
nem et per corpus intelligitur congeries operum
id est videtur quod si finis intentus bonus sit quod
omnis operatio voluntatis sit bona et commen-
dabilis. Contra Augustinus primo libro de ... dicit
Recte sunt omnes voluntates si bona est
illa ad quam recte ordinantur sed illa
ad quam recte ordinantur est voluntas fi-
nis ergo si finis bonus est restat quod vo-
luntas finis et omnes voluntates ad eam or-
dinata sit bona et ita. In hac questione erunt
duo articuli. In primo videbitur de quesito
in 2o de eo quod tangitur in primo et in 2o
arguitur contra oppositum scilicet utrum omnium voluntatum
sit unus finis. Quantum ad articulum primum est

primus articulus

primo notandum quod hic non volo loqui de
bonitate actus naturali sed solum de bonitate
morali vel in toto. Sed autem actus humani
sunt morales quia sunt per libertatem et im-
perio voluntatis sive huiusmodi actus sint
eliciti sive imperati. Et sic bonitas mo-
ralis est conformitas actus ad rectam ratio-
nem. Et actus moraliter bonus est actus voluntatis
elicitus vel imperatus conformis dictami-
ni recte rationis in singulis circumstantiis ... rationis. Sed eo
modo dicitur de actu moraliter malo scilicet quod
est actus elicitus vel imperatus non conformi-
ter dictamini recte rationis. 2o notandum quod
intentio venit ab intendere et importat
ab uno in aliud tensionem vel intentio im-
portat inclinationem in aliud ut in finem et
in terminum. Ex quo sequitur quod intentio est
respectu finis non absolute sed ut per aliquid
aliud pervenitur in finem. Intentio
enim est actus voluntatis ex quodam volito
tendens in aliud. Id autem in quod ten-
dit est finis. Illud autem per quod tendit
est res ordinata ad finem. 3o notandum quod
duplex est finis. Est quidam in quem tamen versatur
dependentia scilicet primarie intentionis et ul-

timate et iste est beatitudo seu summum
bonum. Alius est finis secundarie intentionis
scilicet qui intenditur ad consequendum ultimum
finem et secundum diversa genera diversi sunt
fines 2arum. 4to notandum quod finis ultimus
dupliciter potest considerari uno modo in generali
quod est bonum sufficientissimum bonum pulcher-
rimum et huiusmodi. Alio modo secundum rationem specialem
scilicet prout illud summum bonum est deus
in cuius visione consistit vera beatitudo et vita
eterna. Quinto notandum quod ad hoc quod aliquis
actus ad finem debite et recte ordinetur
ex parte operantis requiruntur condiciones scilicet due
ex parte ordinabilis et due ex parte
finis. Ex parte ordinabilis primo requiritur
quod actus sit in genere bonorum et per hoc ex-
cluduntur ea que secundum se sunt mala sicut
mendacium fornicatio et huiusmodi. 2o re-
quiritur quod actus ordinetur sit in fine ita
ut per talem actum talis finis possit ac-
quiri secundum intentionem operantis actualiter
vel habitualiter. Ex parte finis primo
requiritur quod sit bonus et ideo propter vanam glo-
riam non fit moraliter bonum. 2o requiritur
quod iste finis sit debitus isti operationi
sic quod finis sit melior ista operatione
que ad ipsum finem ordinatur et ideo minus
bonum quamvis in se sit bonum non tamen est
bonus finis maioris boni. Ex quibus pre-
missis sit propositio ista: non cuiuslibet boni
finis intentio facit actum moraliter bonum
patet quia non potest velle minus bonum propter finem
quod est id quod in se dirigit et licet
ex hoc intendat maius bonum tamen minus primo
in gratia ut si quis predicaret verbum dei
propter acquirendum temporalia licet secundario propter
deum et proximorum salutem tamen intentio
illius finis propter illud medium non facit ac-
tum esse bonum ut patet ex notabili ultimo quia
ex parte finis quod ipse sit melior
quam ordinatum in fine qualiter non est hic.
2a ergo ad actum esse moraliter bonum non
sufficit intentio cuiuslibet finis et operis
secundum rationem patet quia quilibet illud
quod primo intendit et diligit reputat
hoc sibi esse summum bonum et huiusmodi in vite

q. 2a

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_332/0177